

mitem, & sine erodente malignave facultate. Cæterum LIEN tantum non semper afficitur, tumet, obtuso dolore gravat, viscus siquidem propter arteriarum multitudinem, & exiguitatem levi etiam sanguinis vitio obstructionibus obnoxium.

PROGNOSIS. Quartana primigenia sola periculi expers est, item quæ juvenes invadit sanis visceribus, & viribus integris pollentes; Alios autem morbos graviores subsecuta, aut ex inveteratis obstructionibus orta, vel imbecillum senem occupans plerumq; inexpugnabilis ad Libitinam lento gradu deducit, Nec vacat periculo, quæ ab atra bile provenit, in hecticam enim terminatur, & si nimis adusta, feroxq; sit, in maniam transit, mitior illa, quæ a puro succo melancholico, etsi tardior, simplex facilior, quam duplex, aut triplex, cum hæc febris eo maximè securitatis nomen adepta sit, quod ampliore circuitu Naturæ donet inducias; Aliquando, si voces bonum, quod minus malum est, salutarem liceat dicere, tollit siquidem epilepsiam, juxta Aph. 70. l. 5. Hipp. & l. 1. Epid. Spasmodum ac Tetanum superveniens solvit.

LONGITUDO; Longissimum morbum Heurnius ad aph. 25. l. 2. nominat. Hoc citato aph. Hippocrates distinguit ab aëris constitutione: *Æstiva Quartana maximam partem sunt breves, autumnales longæ, maximeq; qua proximè absunt ab hyeme.* A loco Hollerius, *Quartana à liene, inquit, longior, ab hepate brevior.* A diæta malè administratâ brevissima, quam post sex paroxysmos Platerus perfectè curavit. Quibusdam naturis ita penitus infixæ est, ut qd. innata plurimos annos perduret, aut domestica facta, si medicamentis tentes, magis affligat, & gravissimis symptomatibus excitatis ab incepto deterreat.

MODUS EVENTUS. Plerumq; per vomitum & sudores abit: Aliquando solvitur criticè urinis crassis, nigris, menstuis, aut hæmorrhoidibus fluentibus, profluvio sanguinis è naribus, abscessu in crura. De Urinis talibus nota, post signa coctionis semper salutare esse, absq; his

B

cras